



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii  
Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Sectio I. Prima conclusio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

passibilitate; sub conditione tamen perseuerantiæ Adami fuit impassibilis decreta: passibilis autem sub conditione peccati Adami, & sub conditione voluntatis Christi eligentis passionem. Per actus independētes à morte angelis & Adamo primam gratiam obtinuit: angelis item bonis integram prædestinationem. Lapsis autem hominibus elegit Christus passibilem vitam, quam accepit à Deo: per quam impetrauit hominibus reparationem: item omnibus hominibus gratiam sufficientem ad vitam æternam, electis autem efficacem. Pro nullo autem merita obtulit, vt conciperetur absque peccato originali.

§. 330. De Maria est alia ratio: fuit enim prima omnium creaturarum, quæ post Christum decreta est absolute. Quam Christus suis meritis impetrauit non solum in esse gratiæ, sed etiam in esse na-

turæ, vt dixi §. 96. cui existenti per merita Christi. Thom. eadem merita impetrauerunt merita ad materni- q. 1. art. 4. tatem: item & merita congrua, vt angeli & homines producerentur in gratia: quibus impetrauit plurimos suæ prædestinationis effectus. Per eadem merita excepta fuit non solum ab originali peccato, sed etiam ab eius lege absolute considerata. sub conditione tamen ea fuit lege conclusa: quia volens Christus eam produci, si nollet eam excipere à lege peccati, in eo conciperetur. Quod satis esse ad exactam redemptionem constat ex §. 98. Christus dicitur melius eam eripuisse absolute à debito peccati originalis: quia eam noluit pacto concludi ob sua ipsius Christi merita, sine quibus illi pactum imminebat. Cælum, quatuor elementa, & alia corpora irrationalia simul ratione visa sunt existere cum Christo.

## DISPUTATIO XIV.

## Qua ratione Christus nos redemerit à peccatis?

S. Thom. art. 4.

SECTIO I. Prima conclusio.  
SECTIO II. Secunda conclusio.  
SECTIO III. Conclusiones alie.

SECTIO IV. Graues nonnullæ difficultates.  
SECTIO V. Difficultas ex ipsa morte Christi.

§. 1.



Æc quæstio multas amplexa: vtrum Christus venerit ad emendationem peccati originalis dumtaxat, an etiam personalium? vtrum magis præcipue ob actualia, quam ob originale? vtrum Deus fieret homo, si deficerent actualia; an verò, si deficeret originale? vtrum actualia in eius nece commissa vitari potuerint per eius gratiam? quo autem pacto, meritis morte conlummatas nos redemerit? Siquidem eadem morte effecit, vt posset non occidi.

## SECTIO I.

## Prima conclusio.

§. 2. Dico Primò, Tamest nullum esset futurum peccatum nec originale, nec actuale, adhuc Deus fieret homo ex vi decreti presentis. Itaque Christus non est ita decretus, vt non veniret non existente peccato in statu absoluto. Hæc conclusio præmissa est disp. 13. à §. 301. & probata: quia prius ratione, quam peccare prævideretur Adamus, præuisus est Christus non solum existens, sed etiam impetrans Adamo iustitiam originalem, & auxilia efficaciam ad aliqua bona opera lapsu priora, & sufficientia ad eum continendum ne laberetur: quæ ideo ei sunt collata per Christum, ne peccaret: ergo tamest non peccaret, Christus veniret. Consequentia est certa: quia carentia lapsus esset effectus meritorum Christi, vt fuit carentia aliorum peccatorum, quæ per eandem gratiam vitauit: at effectus securus supponit causam, non destruit. Quod infra patebit à §. 17.

§. 3. Quamuis P. Suarez ab hac opinione est disp. 5. sect. 5. versu Dico ergo primò: tamen negotium nobis facessit versu. Dico ergo secundo: ex fundamento ab ipso prius iacto versu. Vt veritas exatè. Constituit enim primum decretum Dei de substantia Incarnationis optimo modo exequendæ

iuxta occurrentes occasiones. Considerat enim Deum per scientiam mediam spectantem Adamum lapsam in peccatum, si constituatur in ijs occasionibus, & cum ijs auxilijs; vel oppositum vt potuit esse: si Adamus in nullo statu conditionato videatur peccare, Deus fieret homo, tamest Adamus non peccaret in hoc statu absoluto: quia primum decretum de substantia Incarnationis exequendæ optimo modo, non habet necessariam connexionem cum permissione peccati in statu absoluto, quando non fuit præuisum in conditionato: tunc enim optimus modus se communicandi esset independenter à peccati permissione. si verò Adamus visus est sub conditione peccare in aliquo statu conditionato, & Deus non eligeret eum statum, sed alium, in quo non permitteretur peccatum; non veniret Christus ex vi presentis decreti: quia rectè argueretur, Deum non habuisse decretum se communicandi optimo modo: siquidem non elegisset permissionem peccati; quæ pertinet ad optimum modum.

§. 4. Hinc infertur, Incarnationem non pendere à peccato vt existente in statu absoluto: quia decreta est prius ratione, quæ illud est permissum; pendet tamen à peccato præuiso sub conditione, cuius permissio est necessariò eligenda ex vi primi decreti: si verò non prævideatur sub conditione, nec Incarnatio ab illo pendet. Quia verò pecca-

tum

S. Thom.  
2. 2. art. 4.

tum Adami est præuisum in statu conditionato; facta hac hypothesi, non potuit Incarnatio esse, quin peccatum esset futurum: absolute autem potuit esse Incarnatio independens à peccato: quia hoc potuit non videri sub conditione: tunc autem decretum illud esset de optimo modo iuxta alias occasiones occurrentes.

§. 5. Contra hanc sententiam obijcio Primum, Incarnationem ex vi præsentis decreti non futuram absolute, nisi peccaturus esset Adamus, aut alius homo: hoc autem est contra doctrinam eandem; ergo. Minor constat ex ea disp. 5. sect. 5. vers. *Dico ergo primò.* Maior probatur, quia Deus non concepisset hoc primum decretum de Incarnatione optimo modo nisi dependenter à peccato: quia decretum habet necessariam connexionem cum electione medijs optimo modo: & hæc electio est permissio peccati, si prævideatur futurum in hoc statu: sed peccatum necessariò prævidetur futurum in aliquo statu conditionato: ergo hoc decretum habet necessariam connexionem cum permissione peccati in statu absoluto: ergo nisi esset eligenda permissio, non esset hoc decretum, nec Christus ex vi illius veniret, nisi Adamus esset peccaturus. Probo Minorem, quia liberum arbitrium Adami, & omnium hominum simul acceptorum, habet physicam connexionem cum aliquo peccato in communi in omni statu tentationum possibilium, & cum auxilijs remissis possibilibus.

§. 6. Quod explico Primum in opinione S. Thomæ, quam proposui disp. 3. §. 5. constituentis necessitatem moralem ad aliquid in necessitate physica ad peccatum in communi: ex. gr. & in libertate ad omnia in singulari: sed Adamus videtur sub conditione cum necessitate morali ad peccandum: ergo Adamus non potest videri carens omni peccato in omni statu. Minor probatur, quia in statu naturæ lapsæ est necessaria gratia per Christum ad vitandam necessitatem moralem peccandi.

§. 7. Esse autem omnino impossibile, ut nullus hominum possibilium videatur peccare in aliquo statu possibilium, sic probo: Homines possibiles sunt infiniti, in quibus potest esse infinita dissimilitudo temperaturæ, ingenij, & genij, confusiones possunt esse creberrimæ, ardentissimæ & vehementissimæ; auxilia gratiæ supernaturalis possunt à Deo negari, & homines permitti viribus solius naturæ; & illæ quidem possunt attenuari exiguo lupine intellectus, & ferocissimis motibus appetitus: cur ergo mihi persuadeam infinitos homines, iuvenes si constituantur iuxta totidem pulcherrimas puellas, nec iuuentur auxilijs gratiæ, inter eos nullum futurum peccatum libidinis? id tam impossibile est, quam infinitos homines conspirare ad captandum somnum eadem hora. An tibi videtur possibile, ut totus mundus se applicet capiendo somno hora tertia, ita ut nullus sit in orbe, qui non det operam somno hora tertia? multo minus possibile est, ut nullus peccaret in eo euentu.

§. 8. Ratio à priori est: quia, licet singuli habeant libertatem physicam ad abstinendum à singulis peccatis; at omnes ad abstinendum ab omnibus longissimo tempore cum tentatione vehementi atque multiplici, & sine gratia supernaturali, est impossibile, quia caret ea multitudo principio antecedenti, & necessario ad eam victoriam; quia

animi imbecillitas, & naturalis inconstantia non obfirmata auxilijs gratiæ supernaturalis, sed relicta concursui naturali, & viribus exiguis, non potest diu perseverare in tanta hominum multitudine: exigitur enim maior constantia, quam naturalis. in omnibus autem hominibus possibilibus id repugnare est clarum: quia ad illum vniuersorum consensum requiritur omnium simultanea voluntas durans longissimo tempore: quæ non est in nostra potestate magis, quam conspiratio ut omnes capient somnum hora tertia, quin vllus excipiat. Hæc non caret probabilitate, à quorum longiore examine abstinco: satis enim est ea indicasse, & ostendere non minorem connexionem habere Incarnationem cum peccato in hac sententia, quam in Thomistica.

§. 9. Quidquid autem sit de necessitate physica ad peccatum in communi; at certè ex parte effectus est tanta necessitas, ut inferat euidenter cognitionem de aliquo peccato: ego iudico esse euidens futurum peccatum in natura lapsa non reparata: item & in multis statibus vehementissimarum tentationum, & carentiæ gratiæ supernaturalis, & auxilijs naturalium tenuium. Quis enim censeat homines infinitos in eo statu numquam peccaturos? ergo tantam connexionem habet Incarnatio ex vi præsentis decreti cum peccato futuro, quantum peccatum cum natura lapsa non reparata. Quid igitur differt hæc opinio à Thomistica? aut cur asseritur Christus venturus, etiamsi non esset futurum vllum peccatum?

§. 10. Secundò, ex hac opinione eligendum est peccatum præuisum sub conditione: quia intentio de Christo per optimum modum, eligit necessariò mundum, à quo pendet modus optimus: sed per te pendet à peccato: ergo eligit peccatum non minus quam qui amat permissionem ex affectu penitentiae amat peccatum ut peccatum: quia penitentia vnicè pendet à formali peccati; ita & illa manifestatio attributorum per optimum modum: quia iustitia est in satisfaciendo pro peccato, ut est offensa Dei; misericordia verò in eo condonando. Hæc autem esse absurda, latè probavi in prædestinatione, & ea inde sequi.

§. 11. Tertio, iam peccatum esset necessariò: quia Incarnatio est suppositio antecedens nostrum consensum, & habet necessariam connexionem cum peccato, ex hypothesi quod est sub conditione futurum: ergo recurri potest ad præfinitiones, quas P. Suarez admittit. At certè eas numquam admittit ad peccatum: Incarnatio autem esset à decreto præfinitiuo peccati supposita scientiâ mediâ de illo: quia cum illo habet necessariam connexionem.

§. 12. Tandem Incarnatio in emendationem peccati non est optimo modo: quia melius esset homines præseruare ab omni peccato; quia iustitia esset in offerendis meritis pro gratia præseruatiua: item ut homines numquam laderent ius Dei. Misericordia maior est in præseruatione, quam in condonatione. vide quæ dixi disp. 3. à §. 73. Igitur Christus veniret, tamen si nullum peccatum esset futurum ex ijs, quæ visa sunt sub conditione: quia omnia illa vitari poterunt ex gratia per Christum iam existentem.